



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXXXVI. Hadrianus V. Anno Christi 1276. Rodulphi Regis 3. Michael.
Palæol. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

ANNOTATIONES.

(1) In ordine (Prædicatorum) fuit magister in Theologia & magnæ litteraturæ, unde scripsit super Sententias, & super Epistolas Pauli: S. Antoninus Part. 3. Chron. tit. 20. cap. 3.

CLXXXVI.

HADRIANUS V.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 3. MICHAEL.
PALÆOL. 16.

UT Catholicæ Ecclesiæ præsideret anno 1276. Idus Jul. nomine Hadriani V. legitur *Ottobonus Fliscus* Genuensis, fratre Innocentii IV. generitus. *Hic statim post suam creationem constitutionem Gregorii X. de restrictione Cardinalium in electione Papæ suspendit, intendens eam aliter ordinare.* (1) Mox Româ Viterbium petit, ubi ne Sacerdotio quidem (erat enim Diaconus) nedum Pontificatu initiatus, XV. Kal. Septembr. decedit, post *tricesimum septimum diem*, quàm Pontifex electus fuerat. (2)

Rayn. an.
1276. §.
26. 27.
Spond.
§. 4

ANNOTATIONES.

(1) Jordanus Scriptor coævus apud Raynaldum ad an. 1276. §. 26.

Bbb 3

(2)

(2) Hoc tamen non eximit eum verorum Pontificum numero, quando electio absoluta, & nullius approbationis indiga, qualis hoc ævo fiebat, postquam acceptata est ab Electo, Pontificem constituit: secus quam primis decem sæculis: Papebrochius in Conatu part. 2. pag. 57. apud Bolland. tom. 8. Maji.

Petrus Maria Campus lib. 19. Hist. Placentinæ, ad an. 1276. pag. 307. contendit, Vicedominum de Vicedominis Placentinum natum sorore Gregorii IX. Card. Episcopum Prænestinum, ex familia Sancti Francisci, anno 1276. die quinta Septembris nomine Gregorii XI. suffectum fuisse Hadriano V. ac mortuum die insequente. At negat id Franciscus Pagius in Breviario Pont. Rom. tom. 3. pag. 419. quod nullam de eorum mentionem faciunt veteres, nullam recentes scriptores, ne illi quidem, qui Ordinis S. Francisci historiam scripserunt ante annum 1628. quo anno Lucas Wadingus, edito tomo altero Annalium Minorum, dubitanter loquitur: *Inter hunc (Joannem XX.) & Hadrianum nescio si audeam alium numerare Pontificem, utpote cujus nullus, qui vitas & seriem scripserit Pontificum, vel minimum meminert.* Nunc verba hæc, & alia ad Vicedominum pertinentia, sunt in tomo 4. ad an. 1276. §. 2.

CLXXXVII